



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

Genet, François

Parisiis, 1703

Caput VI. De iis pro quibus offerri potest Missæ sacrificium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40834

CAPUT VI.

De iis pro quibus offerri potest Missæ Sacrificium.

Quæst. I. **P**OTEST-NE Missæ Sacrificium offerri pro defunctis?

Resp. De fide est, Missæ Sacrificium pro defunctis offerri posse: etenim vivorum suffragia illis prodesse possunt, cum in statu gratiæ decedentibus, superest aliqua pœna eorum peccatis debita expianda in Purgatorio. Probatur primò ex eo quod dicitur lib. 2. Machabæorum. cap. 12. *Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.* Hinc colligit Divus Thomas in 4. dist. 45. q. 2. art. 2. has preces futuras esse inutiles, nisi defuncti possint adjuvari vivorum suffragiis. Ideoque Concilium Tridentinum sess. 22. de Sacrificio Missæ, cap. 2. ait: *Quare non solum pro Fidelium vivorum peccatis pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus: sed & pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis, ritè, juxta Apostolorum traditionem offertur.*

Apostolicam autem hanc traditionem facilè erit ad suum fontem revocare. Tertullianus de hac re loquitur variis in locis præcipuè de corona Militis cap. 3. *Oblationes pro defunctis annua die facimus.* Et lib. de Exhortatione castitatis cap. 11. Loquens ad maritum de uxore mortua, ait: *Pro cujus spiritu postulas, pro qua oblationes annuas reddis per sacerdotem.*

Et S. Cyprianus Epist. 66. ad Furnitanos: *Episcopi, inquit, antecessores nostri consue-*

De Sacrificio Missæ. Cap. VI. 259

runt, ne quis Frater excedens ad tutelam vel curam Clericum nominaret; ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec Sacrificium pro dormitione ejus celebraretur: neque enim apud Altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece, qui ab Altari Sacerdotes & Ministros avocare voluit.

Et S. Cyrillus Episcopus Hierosolymitanus Catechesi 5. Mystagogica, qui vivebat in 4. sæculo, loquens de Sacrificio Missæ ait: Rogamus te, inquam, nos omnes, & hoc Sacrificium tibi offerimus, ut meminerimus etiam eorum, qui ante nos obdormierunt, primum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, ut Deus orationibus illorum & deprecationibus suscipiat preces nostras. Deinde pro defunctis sanctis Patribus & Episcopis. Denique pro omnibus oramus, qui inter nos vitam functi sunt, maximum esse credentes animarum juvamen, pro quibus offertur precatio sancti illius, & tremendi quod in Altari positum est Sacrificii.

Et ab hac traditione accepit Ecclesia hanc in Missa Liturgiam. Offerimus hoc Sacrificium pro omnibus Orthodoxis atque Catholica & Apostolica fidei cultoribus, &c. Et pro omnibus in Christo quiescentibus, qui nos praeserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis.

Et Divus Augustinus: Non parva est, inquit, universa Ecclesia, qua in hac consuetudine claret, autoritas, ut in precibus Sacerdotis, qua Domino Deo ad ejus Altare funduntur, locum suum etiam habeat commendatio mortuorum.

Quæ quidem consuetudo, ait S. Thomas, ab ipsis Apostolis inchoavit, ut dicit Damasus in quodam sermone de suffragiis mortuo-

S. August. lib.
De Cura pro
mortuis. cap. 5.

S. Tho. in 4.
dist. 45. q. 29
ait. 1.

rum, sic dicens: *Mysteriorum conscii Discipuli Salvatoris, & sacri Apostoli in tremendis & vivificis Mysteriis, memoriam fieri eorum, qui fideliter dormierunt, sanxerunt.*

S. Aug. Serm. 31. De verbis Apostoli. cap. 21. Et idem Divus Augustinus in alio loco ait: *Hoc enim à Patribus traditum universa observat Ecclesia, ut pro eis qui in Corporis & sanguinis Christi Communionem defuncti sunt, cum ad ipsum Sacrificium loco suo commemorantur, oretur, ac pro eis quoque id offerri commemoretur.*

S. Chrysost. hom. 69. ad pop. Antioch. Non temerè, ait S. Chrysostomus, ab Apostolis, hac sancita fuerunt, ut in tremendis Mysteriis defunctorum agatur commemoratio. Sciunt enim illis inde multum contingere lucrum, utilitatem multam. Cum enim totus constiterit populus, extensis manibus, Sacerdotalis plenitudo, & tremendum proponatur Sacrificium, quomodo Deum non exorabimus pro his deprecantes?

S. Isidor. De Off. Ecclesiast. cap. 18. Sacrificium, ait S. Isidorus, pro defunctorum Fidelium requie offerri, vel pro eis orari, quia per totum hoc orbem custoditur, credimus, quòd ab ipsis Apostolis traditum est.

Quaest. 2. Potest-ne Missæ Sacrificium pro iis offerri, qui absque Baptismo decesserunt?

Resp. Non potest, neque etiam pro iis, qui in hæresi mortui sunt, cum nullum possint à Sacrificio fructum percipere. Noli credere, ait S. Augustinus, nec docere, nec dicere, Sacrificium Christianorum pro his, qui non baptizati de corpore exierunt, offerendum, si vis esse Catholicus.

Quaest. 3. Potest-ne Missæ Sacrificium offerri pro peccatoribus, pro Hæreticis, pro schismaticis, & infidelibus?

Resp. Responderi potest cum S. Thoma, posse offerri Sacrificium pro iis, qui actu

De Sacrificio Missæ. Cap. VI. 261

sunt, vel possunt esse membra Ecclesiæ, cuiusmodi sunt omnes in quæsito relati, nisi id expressè ab Ecclesia prohibeatur. *Eucharistia*, inquit, in quantum est Sacrificium, habet effectum etiam in aliis pro quibus offertur, in quibus non præexigit vitam spiritualem in actu, sed in potentia tantum: & ideo si eos dispositos inveniatur, eis gratiam obtinet virtute illius veri Sacrificii, à quo omnis gratia in nos influxit, & per consequens peccata mortalia in eis delet; non sicut causa proxima, sed in quantum gratiam contritionis eis impetrat; & quod in contrarium dicitur ex *Divo Augustino*: Quis offerat Corpus Christi nisi pro his, qui sunt membra Christi? *Intelligendum est pro membris Christi offerri, quando offertur pro aliquibus, ut sint membra Christi.*

Quæst. 4. Potest-ne offerri Sacrificium pro nominatim excommunicatis, ac proinde non toleratis inter Fideles?

Resp. Nunquam pro iis offerri potest Sacrificium, neque pro notoriis Clericorum percussoribus, donec obtinuerint absolutionem excommunicationis, in quam inciderunt, ut patet ex cap. *A nobis*. De sententia excommunicationis; ubi id expressè prohibetur his verbis: *Non communicetur mortuo, cui non est communicatum & vivo.* Idem decreverat *S. Leo Papa* in *Can.* his verbis: *Non autem quibus viventibus non communicavimus, mortuis communicare non possumus.* Licitum tamen est, secundum doctrinam *Divi Thomæ* supra relata, rogare Deum pro illis, ut illos ad pœnitentiam reducat per veram contritionem.

*S. Tho. in 4.
dist. 12. q. 2.
art. 2. quæst.
2. ad 4.*

*Can. De Commu-
nicantibus.
24. q. 2.*